



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica

Huet, Pierre Daniel

Parisiis, 1679

XVI. Moses inter astra relatus, & Librae gestandae adhibitus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-16260

bini, Ut ut est, vides Mofi, itidem ut Proteo, attributas ab Apione columnas, pelvim five Scapham, & Astrologia peritiam. Egregius saltator fuit Proteus; quod de Orpheo itidem, & Musæo, quos ex Mosis quoque historia prodidisse ostendam, Lucianus tradidit; propter cantatos à Mose Hymnos, & Mania fororis Mosis tripudia ac chorcas. Naturæ principia aperuisse Proteum legitur in Hymnis Orpheo adscriptis, & in Chiliadibus Tzetis: quod unice Mofi convenit, qui de rerum origine, & mundi creatione laculenter, versimeque disseruit. Proteus ποσειδάωνος, multi consilii appellatur in iisdem Orphicis: sic Mercurius Osiridis σύμβουλος consiliarius fuisse dicitur à Diodoro, *ὅτι τὸ πρῶτον τῶν θεῶν ἐξήρπυ τὴν ἀδελφὴν Ἥρα*. Quod aliis omnibus ejus amicis, hic prudentia prestiterit: sic Bacchus in iisdem Hymnis, *ὁ βουλος, boni consilii, & ἐμπροσθεν*, bonis consiliis plenus dicitur: Bacchus autem & Mercurius, typi sunt Mosis: sic & Moses ipse à Josepho dicitur *prudentissimus consiliarius, σύμβουλος σωτηρίας*. Proteum fortissimum & invictum fuisse constat: verba sunt Servii, qui & propter fortitudinem Herculem eum ait fuisse dictum: de Mose perhibet Josephus, *ἐν ἀρασι στρατηγὸν ἀεὶ τὸν γαρόντων*. In omnibus excellentem imperatorem extitisse. Nepruni armenta & turpes phocas pascere Proteum. cecinerunt Homerus, & Virgilius: Mofes diu pastoralem vitam egit. Ex iis quæ de Proteo narrat Herodotus, summa ipsius æquitas & integritas intelligitur, qua præcipue laude Mofes floruit. Divinos denique in Ægypto honores Proteus consecutus est, itidem ut Osiris, Mercurius, Vulcanus, & Typhon, in quibus fallax vetustas Mofem adumbravit.

XV. Mofes quoque Perseo multis rebus similis est. Libero & Amphioni, quorum uterque Mofes est, Perseus æqualis fuit. Ægyptium fuisse tradunt Herodotus, ac Diodorus: addit ille Chemmi positum ei fuisse templum, & à Chemmitis solitum gymniciis ludis celebrari: Strabo vero in Ægypto *πεποιθὸς οὐροῦ*, Persei speculam ponit; quod & speculatorem fuisse Perseum indicat: Ægyptius fuit Mofes; fuisse & speculatorem ostendit cognomen ipsius Osarsiph, hoc est, Solis speculator: idem & *Στόνιος* à Georgio Syncello dictus est, ut supra observavimus. Statim ab ortu in arcam conclusus, & in mare abjectus est Perseus, & in Polydectæ deinde regia educatus: quæ in Mofem apposite congruunt. Magicæ artis peritum fuisse narrat Auctor Philopatridos, qui libellus Luciano tribuitur: idem de Proteo, qui Mofes est, à nonnullis vulgo creditum esse diximus. Andromeden Cephei Æthiopum regis filiam duxit uxorem: Tharbis Æthiopum regis filia Mosis nuptias ambivit & impetravit, ut affirmat Josephus; hic deinde uxorem duxit Sephoram Æthiopiſſam, hoc est Chusitidem; nam Chus populos ad utrumque Rubri maris litus pertinentes significabat. Persei filium Erythram quidam faciunt, qui ad maris hujus oram imperitarit. Sic Rhadamanthyi, qui figura est Mosis, tribuit Diodorus Erythrum filium qui regnum tenuerit Erythrorum, ut dixi supra, quod liberos Mofes hoc in litore genuerit. Mercurii talaria & gladium gestavit Perseus; quippe Mercurius ipse Mofes est.

XVI. Non alio etiam quam ad Mofem videntur referenda, quæ in Libro Memoriali scripsit Lucius Ampelius, rudis homo quidem & imperitus, sed aliorum in scribendo subnixus studiis, & aliquibus bonæ vetustatis reliquiis conspicuus. *Libra*, inquit, quam Græci *Λύρα* appellant, virile nomen est adeptus. Is omni clementia justitia Mochos dictus, qui primus dicitur libra pondus hominibus invenisse, quæ utilissima mortalibus æstimantur, ideoque in numerum stellarum receptus est, & *Libra* est dictus. En tibi Mofem proprio nomine appellatum, si pro Mochos legas Mofchos, quod est *μωχ*. Quo nomine ab aliis Scriptoribus designatum Mofem supra diximus. Statives ipsi inventionem tribuit Ampelius, quod sancte caverit, ne qua fraus ponderibus, mensuris, aut regulis inesset: *Nolite facere*, inquit, *iniquum aliquid in iudicio, in regula, in pondere, in mensura. Statera justa, & aqua sint pondera, justus modius, æquusque sextarius.* Eadem gravissimis verbis alio loco iterat: *Non habebis in sacculo diversa pondera, majus & minus; nec erit in domo tua modius major & minor: pondus habebis justum & verum; & modius æqualis & verus erit tibi, ut multo vivas tempore super terram, quam Dominus Deus tuus dederit tibi. Abominatur enim Dominus Deus tuus eum qui facit hæc, & adversatur omnem injustitiam.* Ineptum autem est, quod ait ineptus Ampelius, *Libram*, quam Græci *Λύρα* appellant, virile nomen esse adeptam. *Libra* à veteribus Astronomis, non folla, uti nunc, sed simul cum *Libripende* in astrothesia pingebatur. Diferte Manilius: *Humana est facies Libræ.* Munus cælestis Libræ pendendæ Augusto delegavit ipsius ætas, quo optimo & æquissimo Principi gratificaretur. Alii id Virgini adscripserunt. Atqui ex Ampelio intelligimus Mofi hunc honorem jam ante fuisse habitum, propter æquitatem, ac statives inventionem: nempe, ut verisimile est, ab Ægyptiis, vicinisque nationibus, Astronomiæ studio deditis, quas Mosis fama pervaserat.

XVII. Quinetiam in Aristæo nobilis constat Mosis effigies. Apollinis, vel ut

Luc. De saltat.
Orph. Hymn. in Prot. Tzet. Chil. 2. Hill. 44.
Diodor. libr. 1.
Orph. Hymn. in Dionys.
Joseph. libr. 2. contr. Apion. Serv. in Virg. Æn. 11.
Hom. Olyf. 6.
Virg. 4. Georg. Herod. libr. 2. cap. 115.
Perseus idem ac Mofes. Herod. libr. 2. cap. 91.
Diod. libr. 1. Strab. libr. 17.
Joseph. Antiq. libr. 2. cap. 5.
Diod. libr. 5.
Mofes inter astra relatus, & Libra gestanda adhibuit.
Levit. 19. 35.
Deuter. 25. 15. & seq.
Manil. libr. 2.
Aristæus